

15

1772, 32.

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS
DE
PROBATIONE INDEBITI
A D

L. XXV. D. DE PROBAT. ET PRAESVMT.



Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

A. D. XXX. APRIL. A. C. C I O I O C C L X X I I

P V B L I C E T V E B I T V R

A V G V S T I N V S F R I D E R I C V S

M V L L E R V S A B E R N E C K

L I P S I E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A



ERIGITATIO IURIS CIVILIS
PROVINCIE INDEBETI
LXXXII DE PROVINCIIS ET TERRIS
EX AIA
TERRA RIO JAHNSONIS AVTONOMA OCTIMA
AVTONOMIA
TERRA GARDIA PROCLAVIS
RIECA CATEPESCHI
TERRA VALLIS A. Q. 13000000
TERRA VALLIS TAVICENSIS
TERRA VALLIS TAVICENSIS

EX SPECTACULIS PONTIFICIS MUNDI



VIRO
PERILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO
IACOBO HENRICO
BORNIO

IVRIS CONSVLTO

DOMINO HAEREDITARIO IN WILDENBORN
ET SVKSDORF

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS
IN CVRIA DITIONVM INGENVAE ECCLESIAE MISENENSIS
REGENDARVM CANCELARIO IN IUDICIO AD QVOD
PROVOCATIONE CERTATVR CONSILIARIO CVRIAЕ
PROVINCIALIS LIPSIENSIS SUPREMAE ET SCABINATVS
ADSESSORI CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLI
SCHOLAEQVE AC TEMPLI NICOLAITANI
ANTISTITI

PATRONO OPTIMO MAXVMO

S A C R V M



V A T I O

ESTHETICAE ET DRAMA MAGNIFICÆ

JACOBUS HENRICUS

BERNIUS

VARIS CONVENTU

DOMINI HABEREDARION LIBERATIONIS

ET SAVIORIS

SERMONIBVS AZONIVL EPICTORIS

IN CATHOLICO-PATRICO-PATRICO-MONACHICO-MONACHICO

DISCERNENDA. CANTABVS. CANTABVS. CANTABVS.

PROLOGO. PROLOGO. PROLOGO. PROLOGO. PROLOGO.

INTRODUCENS. INTRODUCENS. INTRODUCENS. INTRODUCENS.

CONCLUDING. CONCLUDING. CONCLUDING. CONCLUDING.

CONCLUDING. CONCLUDING. CONCLUDING. CONCLUDING.

PATRONO OPTIMO MANKINO

M A U R U S

V I R
PERILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE
PATRONE INDVLGENTISSIME

Nunquam fortasse morem imitatus fuisset
eorum, qui, studiis academicis peractis,
specimen quoddam diligentiae quum edunt, id Viris
grauibus, doctis atque de republica bene meritis,
quos sibi Patronos exoptant, sacrum esse cupiunt;
veritus, ne audaciae cuiusdam reus argueret,

Si tenui libello ab Illustri Nomine *TVO* splendorem
conciliare sustinerem: nisi inter alias excusandi ra-
tiones, in primis amicitia, quae communibus studiis
contracta a teneris annis mihi intercedit cum filio
TVO, spe *TV A* patriaeque, eo me per pulisset, ut
etiam venerabilem tam egregii iuuenis Patrem, Pa-
tronum Fautoremque nancisci studerem. Quare quum
haec maxime opportuna mihi sese obtulerit occasio,
non possum non, quin voti iam dudum a me concepti
participem me reddam atque compotem, praesertim
quum filius *TVVS*, amicus meus, quem huius rei causa
per litteras consulebam, animum in sola Indulgentia
TV A acquiescentem adeo confirmasset meum, ut mul-
lus dubitarem, quin conaminis mei a *TE*, *VIR-*
PER-

*PERILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE,
imperatrurus essem veniam. Quapropter offero TIBI,
PATRONE OPTIME, tanquam certissimum meae
in TE pietatis atque obseruantiae pignus, tenuem,
quem de probatione indebiti conscripsi libellum, quem
ut serena fronte excipere velis, omni qua decet obser-
vantia oro rogoque. Summum autem Numen pro TVA
TVORVMque incolumitate supplex veneror, velit
TIBI in capiendis de republica consiliis saluberrimis
praefeo esse, ac vires, quas negotiorum multitudo atque
grauitas facile infringere atque debilitare potest,
corroborare, TEque tanquam laetum huius Ciuitatis
ac totius Saxoniae fidus diu micare sinat, tandemque
multorum annorum accessione cumulatum, ac vitae*

glo-

gloriaeque saturum, sero in caelum redire iubeat. Ita
ergo valeas, meque Patrocino *TVO* grauissimo ornes
atque tuearis, vti semper *TVI* obseruandi suspiciens
dique ero

VIR PERILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE
PATRONE INDVLGENTISSIME

Lippiae
a. d. xxx. April.
cōcio CCLXXII.

studiosissimus cultor
AVGVSTINVS FRIDERICVS MÜLLERVS A BERNECK



EXERCITATIO IURIS CIVILIS
DE
PROBATIONE INDEBITI
AD
L. XXV. D. DE PROBAT. ET PRAESUMT.

C A P V T I.

§. I.

Tribonianus, non Pauli, esse creditur filius et iurisprudentia
L. XXV. D. de probat. et praesumt.



Quae de indebiti probatione e Pauli libro ter-
tio Quaestionum L. XXV. D. de probat.
et praesumt. retulerunt Iuris architecti, et
ab oratione et a doctrina ICti adeo aliena
putarunt Interpretes, ut Paullo prorsus
abnegarent, atque a Triboniano, quem saepe multumque,
adiecit emblematis, veteres iuris autores non modo in-

B

ter-



terpolasse, deprauasse et ad mores seculi sui inflexisse, sed et, mentitis ICtorum nominibus, integra capita supposuisse, integrisque commentarios edidisse, immerito arguant, plane immutata, reficta, et, praefixo perperam Paulli nomine, hoc loco posita esse sibi persuaderent: adeo, ut ne vllum quidem verbum Paulli sit, Triboniani omnia. Sic postquam primus statuit, et veluti classicum cecinit Iurisconsultorum a restaurata iurisprudentia romana coryphaeus Iac. Cuiacius *Lib. XXI. Obs. c. 26.* et *Recitat. in Lib. III. Quæfionum Paulli;* plures, ut fit, inuenti sunt, qui castra eius sequerentur, in quibus Dionys. Godofredus *ad h. l. Ant. Faber L. XVIII. Coniect. c. vlt. Em. Merillius Lib. VIII. Obs. c. 20.* Wissenbachius *Emblem. Tribon.* Ant. Schultingius *ad Bertrandi Vitam Iulii Paulli. Iurispr. Anteius.* p. 199. aliquie, quos non recenseo. Ac si de verbis modo quaestio moueretur, et Paulli dicendi genus Triboniano adeo obscurum visum esse diceretur, quod verbis dilatare, atque vberius extendere necessarium duceret, salua caeteroquin Paulli mente ac sententia; poterat hic opinionis error adhuc tolerari, quantumuis durum sit, ex sola scribendi ratione. Tribonianum tamquam interpolatorem arrodere. Iam vero non propter verba dumtaxat, sed ducto a verbis arguento, ob nouam, ut credunt, ac prorsus insolitam iurisprudentiam, hoc capite propositam, Triboniano, velut contra pristinam formam aedificanti, nouum opus nunciatur, et vniuersus hic de probatione indebiti locus e cerebro Triboniani promanasse existimatur.

§. II.

Verba Legis exhibentur.

Qua de re priusquam lineas ducam altiores, et tam orationem, quam Iurisprudentiam Paulli ab intempestivis Cri-



Criticorum insultibus vindicare studeam; verba L. XXV.
D. de probat. et praesumt. vt Florentiae eduntur, lectorum
oculis subiiciam. Sunt autem haec:

PAVLLVS LIBRO TERTIO QVAESTIONVM

Cum de indebito queratur, quis probare debet non fuisse de-
bitum? res ita temperanda est: ut si quidem is, qui accepisse
dicitur rem vel pecuniam indebitam, hoc negauerit: et ipse,
qui dedit, legitimis probationibus solutionem adprobauerit: si-
ne villa distinctione ipsum, qui negauit sese pecuniam accepisse,
si vult audiri, compellendum esse ad probationes praestandas,
quod pecuniam debitam accepit. per etenim absurdum est, eum,
qui ab initio negauit pecuniam suscepisse, postquam fuerit con-
victus eam accepisse, probationem non debiti ab aduersario exi-
gere. Sin vero ab initio confiteatur quidem suscepisse pecunias,
dicat autem non indebitas ei fuisse solutas: praesumptionem vi-
delicet pro eo esse, qui accepit, nemo dubitat. qui enim soluit,
nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias iactet, et in-
debitas effundat. et maxime si ipse, qui indebitas dedisse dicit,
homo diligens est et studiosus paterfamilias: cuius personam in-
credibile est in aliquo facile errasse. et ideo eum, qui dicit in-
debitas soluisse, compelli ad probationes, quod per dolum acci-
pientis, vel aliquam instanti ignorantiae causam indebitum ab
eo solutum. et nisi hoc ostenderit, nullam eum repetitionem ha-
bere. §. I. Sin autem is, qui indebitum queritur, vel pu-
pillus, vel minor sit, vel mulier, vel forte vir quidem perfectae
aetatis, sed miles vel agricultor, et forensium rerum expers, vel
alias simplicitate gaudens, et desidia deditus: tunc eum, qui ac-
cepit pecunias, ostendere bene eas accepisse, et debitam ei fuisse
solutas, et si non ostenderit, eas redhibere. §. II. Sed haec
ita, si totam summam indebitam fuisse solutam is qui dedit
contendat. Sin autem pro parte queritur, quod pars pecuniae



solutae debita non est: vel quod ab initio debitum fuit, sed vel dissoluto debito postea ignarus iterum soluit, vel exceptione tutus errore eius pecunias dependit: ipsum omnimodo hoc ostendere, quod vel plus debito persoluit, vel iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependit, vel tutus exceptione suam nesciens proiecit pecuniam. secundum generalem regulam, quae eos, qui opponendas esse exceptiones adfirmant, vel soluisse debita contendunt, haec ostendere exigit. §. III.
In omnibus autem visionibus quas proposuimus, licentia est concedenda ei, cui onus probationis incumbit, aduersario suo de rei veritate iusjurandum inferre, prius ipso pro calunnia iurante, ut index iuramenti fidem secutus, ita suam sententiam possit formare. iure referendae religionis ei seruando. §. IV. Sed haec ubi de solutione indebiti quaestio est. Sin autem cautio indebita exposta esse dicatur, et indiscreta loquitur: tunc eum, in quem cautio exposta est, compelli debitum esse ostendere, quod in cautionem deduxit. nisi ipse specialiter, qui cautionem exposuit, causas explanauit, pro quibus eandem conscripsit. tunc enimflare eum oportet suae confessioni: nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis ostendere paratus sit, sese haec indebite promisso.

§. III.

Versio graeca Βασιλικῶν.

Hunc vero Paulli locum Graeci Baslic. L. XXII. Tit. I. C. XXV. Tom. III. pag. 5. seq. turbato contra mentem ICti propositarum specierum ordine, sic expresserunt: Ζητήσεως περὶ τῷ μὴ χρεωσημένῳ γινομένῃ, εἰς μὲν δόλως σύνθηται λαβεῖν ὁ ἐναγόμενος, τότε ὁ λέγων μὴ χρεωσῶν καταβαλεῖν, δεινυτὶ κατὰ δόλου τῷ δεξαμένῳ ἡ δίληην ἔυλογον αὐτὸν καταβαλεῖν πῇ τέτο μὴ ποιῶν καταδικέται. εἰ δὲ ἄνηβος,

ἢ νε-



ἢ νέος, ἢ γυνὴ, ἢ σρατιώτης, ἢ ἄγροιος πολιτη-
κῶν πρωγμάτων, ἢ ἀλλως ἀπλέξειν ὁ δεδωκεῖς, τότε ὁ
λαβῶν δείνυστι χρέος εἰληφέναι. εἰ δὲ τὴν ἀποχὴν ὁ δεξάμε-
νος ἀρνήσεται λαβεῖν, πῃ συσῆται δότει ὁ ἐνάγων, λοιπὸν
ἐχ ὁ δεδωκεῖς δείνυστι μὴ χρεωτῶν δεδωκέναι, ἀλλ' ὁ δεξά-
μενος χρέος λαβεῖν. εἰ μὲν τοι τις μὴ τὸ πᾶν λέγει οικαβα-
λεῖν, μὴ χρεωτέμενον, ἀλλὰ μέρος, ἢ δεύτερον, ἢ παραγρα-
Φὴν ἔχηκέναι, αὐτὸς οἶος ἂν εἴη, δείνυστι ὁ Φῆσις εν πᾶσι
δὲ τέτοιος ἐφείτοις ὅρκον ἐπάγειν, πῃ ὁ τῆς συνοφαντίας δι-
δοται, πῃ ἀντεπιφέρειν. τάντα περὶ οικαβολῆς. εὖλος γαρ
λέγῃ τις μὴ χρεωτῶν ποιῆσαι γραμματεῖον, πῃ ἐσιν ἀσαφέες,
ὁ λαβῶν αὐτὸ δείνυστι χρεωτέμενον. εἰ δὲ ἐρταῖς ὁ τὸ γραμ-
ματεῖον ἐπιθέμενος εἴπῃ τὸς αἵτιας δὶς συνεγράψατο, τοι-
χεῖν ἀναγνάζεται. εἰ, μὴ δὲ ἐγγράφῳ δείξει, μὴ χρεωτῶν
ὅμολογοσα. Verit Fabrotus: Cum de indebito quaeritur, si
quidem reus totam summam accepisse confeatur, tum is, qui di-
cit indebitum soluisse, probat per dolum accipientis, vel aliam
quam iustam causam indebitum ab eo solutum: caeterum con-
demnatur. Sin autem pupillus, vel minor, vel mulier, vel mi-
les vel rusticus et expers rerum civilium, vel alias simplex est,
qui dedit, tunc qui accepit probat se debitum accepisse. Quod
si is, qui ab initio accepit, accepisse se negaverit, et auctor pro-
bauerit se ei pecuniam dedisse, tunc non is, qui dedit, indebitum
se dedisse probat, sed is, qui accepit, se pecuniam debitam
accepisse. Sin autem quis non totam summam indebitam fuisse
solutam dicat, sed vel partem, vel his idem soluisse, vel exce-
ptionem omisso, ipse, qualisque sit, quod dicit probat. In
his autem omnibus licet iusurandum deferre, iureiurando de
calumnia praefito: et referre. Atque haec de solutione. Nam
si quis dicat, se indebite cautionem emissee, idque obscure, et
indistincte: qui eam accepit, debitum esse probat. Si vero spe-
cialiter is, qui cautionem emisit, causas exposuit, pro quibus



eandem conscripsit, ei stare cogitur, nisi evidenter in scriptis probauerit, sese haec indebita promisso.

§. IV.

Inscriptionis ope Lex ad suam sedem reuocatur.

Veteres Ictos libros suos non continua serie scripsisse, sed in minores sectiones, titulos, seu locos parti solitos suisse, et quidem fere tales, quales etiamnum in Pandecte habemus, senioris famae interpres, Brencmannus *Diss. de Legg. inscript. §. 4. in Wielingii Iurisprud. Restit. P. II. p. 151.* et Bynkershoekius *Lib. V. Obs. c. 15.* pulchre observarunt. Paullum itaque verosimile est, secisœ tertio Quæstionum libro titulum de conditione indebiti, quorsum referendae sunt *L. 21. L. 60. de condiſ. indeb. L. 84. de R. I. ac denique nostra L. 25.* qua forte Paullus, quidquid huius argumenti est, absoluit. Iuris autem compositores a sua sede disiectam sub titulo *de probat. et præsumt.* perperam colloca- runt. Verum hoc saepenumero fraudi suit Iuris civilis archetypis, ut propter synonymiam vocabulorum connexa Ictorum capita diuellerent, ac per amplissimum Digestorum corpus longe lateque dispergerent. Vnde tam larga est in Pandectis legum fugitiuarum seges, ut pluribus exemplis demonstrarunt Labittus *Vsi Ind. Pand. Cap. III. in Wielingii Iurispr. Restit. P. II. p. 35. seqq.* Brencmannus *d. l. §. 6. 7. 8. ibid. pag. 153. seqq.* Reinoldus *Orat. de inscript. Legg. D. et C. §. 5. seqq. ibid. p. 187. seqq.* Hinc etiam probationis verbo, quod in hoc capite frequenter occurrit, adduci se passi sunt, ut quamvis Paullus de singulari quodam probationis genere differat, nihil tamen minus communi de probatio- nibus loco inferendum putarent. Paullus igitur propositis aliis de conditione indebiti quæstionibus, iam pergit dis- putare de instituenda indebitu promissione, quippe quae a

re-



recepta probandi regula multum diuertit, et ait: *cum de in-debito quaeritur, quis probare debet non fuisse debitum?* Quam quidem propositionem Pauli esse posse, Cuiacius concedit, qua vero arrepta Tribonianus longe alia supposuerit, seu quod a Pauli sententia diuersus abiret, seu quod rem ad-commodaret ad visum fori, qui aetate Iustiniani obtinebat.

§. V.

*Proponuntur rationes, quare Cuiacius, eumque secuti,
Tribonianum huius capitis auctorem faciant.*

Vrget autem Cuiacius, ad totum hoc fragmentum, exceptis duobus primis versibus, Paullo abiudicandum, ac, quantum quantum est, Triboniani ingenio adscribendum, primum prolixam scribendi rationem, a Paullino dicendi ge-nere longe abhorrentem: tum vocum quarundam phrasium que suspectam latinitatem, atque graecismos passim elucen-tes, e quibus, tamquam ex vngue leonem, Graecum ma-gis, quam Latinum hominem cognoscit: ac denique mani-festam descriptionem monachorum. Quibus argumentis vir summus euincere conatur, nouum, variisque distinctio-nibus refertum ius a Triboniano hic fictum esse atque con-stitutum. Neque vero, qui a Cuiaci partibus steterunt, noui quidquam postea protulerunt, praeterquam quod Mer-illius monachis clericos omnino iunxit, eosque in verbis: *forenum rerum expers*, inuenisse sibi visus est. Vtrumque autem, ac Merilium quidem non laudatum, Wissenbachius ad verbum descripsit.

§. VI.

*Prolixitatem filii Cuiacius nullo iure accusat: imo ipsa sermonis
breuitas ingenium Pauli prodit.*

Ac primum quidem, quod ad orationis prolixitatem, vt Cuiacio visum, attinet, ingenue confiteor, me nihil videre, quod



quod salua iurisprudentia a nostra lege commode abesse pos-
sit: imo, ut recte iudicat Bynkershoekius *Lib. VIII. Obs.*
c. 25. de variis, quae hic tractantur speciebus, quarum quae-
que diuersam definitionem exigit, nemo breuius Paullo di-
xerit. Quod quidem manifestius intelligetur, vbi distinctas
Paulli sententias infra inuestigabimus. Et qui reliqua frag-
menta Paulli, in primis e *Quaestionum* libris desumpta, at-
tentro animo perlegerit, et cum Paullo quasi familiaritatem
quandam contraxerit; is non potest non legendō compertum
habere, caput nostrum cum vniuerso scribendi genere
Paulino tam egregie conuenire, vt, etiam si nullam *περιγρα-*
φην haberet, Paullum tamē auctorem esse, stilus facile in-
dicaret. Quo magis miror, Cuiacium, qui in enodandis
Paulli quaestionibus tantum studii posuit, genium atque in-
dolem ICti in hac eleganti quaestione agnoscere noluisse.
Quamquam enim Paullus ab hiulco Ceruidii Scaeulæ di-
cendi genere multum recedit; presso tamen orationis gene-
re delectatur, quo difficillimas iuris quaestiones, insertis ra-
tionibus, ex interiore aequi bonique disciplina depromitis,
paucis enunciationibus subtiliter conclusit. Inde factum est,
vt nimiae obscuritatis vitium non modo veteres Doctores
Paullo impingenter, adeo, vt Raph. Fulgosius ad *L. 17. D.*
de inoff. testam. indignabundus exclamaret: *iste maledictus*
Paullus semper ita obscure loquitur, vt vix possit intelligi; sed
etiam beatioris seculi ICti, Duarenus ad *L. 132. D. de V. O.*
Bertrandus et Guil. Grotius in *Vita Iusti Paulli apud Schultin-*
gium Iuriſpr. Anteiuſt. p. 199. et 209. Sed ab hac iniusta ve-
terum pariter ac recentiorum criminazione Paullum libera-
runt Bynkershoekius ad *L. Lecta Cap. I. et IX.* et Franc.
Car. Conradi ad *Iul. Paulli ex libro singulari de iure singulari*
Fragm. II. f. I. Neque enim Paullus, dum in explicandis
iuris quaestionibus breuitati studuit, culpa sua, sed mentem
eius



eius haud adsequentium obscurus factus est. Quam quidem concisam scribendi rationem quaestionibus propriam, nec in proposita disputatione, nisi Cuiacii auctoritate transversum actus, quisquam desiderabit. Quodsi Tribonianus huic loco manum admouisset, et, ut fert Cuiacii opinio, suppressa veteri, a Paullo tractata, nouam iurisprudentiam more suo tradidisset; tum vero nemini dubium esse potest, quin hic locus altero tanto longior foret, et ut omnes constitutiones Iustiniani, opera Tribonianii promulgatae, magna sesquipedalium verborum vberate tumeret.

§. VII.

Variarum vocum phrasumque latinitas defenditur, sublatto auctoritate Graecorum mendo, quod §. 3. obhaeret.

Igitur de prolixitate, quae solum fere Cuiacium offendit, cum non sit amplius laborandum, dispiciamus nunc de locutione, quae non modo Cuiacio rudis esse, ac graeca magis, quam latina videtur, sed et reliquos, qui in accusando emblemate vestigia illius infelici gressu presserunt, permouit, ut bonam copiam eiurarent, stilumque Triboniano addicerent. Sed ut dicam, quod res est, dum de verbis humilibus, ineptis, atque e graeco idiotismo traductis prolixam Cuiaciū querelam mouet, dum alii idem carmen recinunt, fane, praeter omnem necessitatem, magnos in simulo fluetus excitare videntur. Nam si quid video, Paullina loquendi ratio tertiior est atque elegantior, quam pro aetate Triboniani, nec vilas, excepta iuramenti voce, impurae dictio[n]is stribligines inuenire licet. Graecas autem dicensi formas, vocesque ad exemplum Graecorum compositas in scriptis veterum iuris auctorum crebro occurrere, qui Pandectas legit, satis nouit, quod argumentum Ant. Augustinus Lib. II. Emendat. c. I. aliquie copiose tractarunt.

C

Quis



Quis autem eo temeritatis progredietur, ut, quotiescumque aliqua vox, vel loquendi ratio, e graeco idiotismo traducta in Prudentum reliquis occurrerit, adulteram Tribonianii, graeci hominis, illico deprehendat manum? Hoc nunquam mitior Criticorum secta tulit. Nam cum graecismi optimis quibusque latinae linguae auctoribus solemnes fuerint, quidni et nostris, puritatis elegantiaeque sermonis studiosissimis? Sed de singulis, quae suspecta habentur, videamus.

Dixit Paulus *pr. nostrae Legis, studiosum patrem familias,* qui prouidam rerum suarum curam gerit, et a Graecis στρατοῖς adpellatur. Quo sensu quamquam haud memini me legere apud alium auctorem vel iuris, vel exterum; plurima tamen in iure semel dicta, et priscis ICtos propria inueniri, nec propterea ut spuria proscribenda, vel ad Tribonianum referenda, nemo infitias ibit. *Omnes vero locationes, quae apud veteres ICtos sunt singulares, Triboniano dare, graue est, ut ait Bynkershoekius Lib. VII. Obs. c. 9.*

Ostendere, pro docere aut probare, ut Graeci δεῖξαι vel δευτεῖν, quo verbo aliquoties *h. l.* vtitur Paulus, quoties apud alios ICtos, et optimos latinos scriptores, legitur, viuperante graecismum nemine? Locos Pandectarum Brissonius de *V. S. h. v.* aliorum auctorum Lexicographi adduxere, quos describere non vacat. Solus igitur Paulus, Cuiacio intercedente, hic non dixerit.

Vocabulum porro *visionum*, quod *f. 3.* occurrit pro speciebus, seu casibus ante propositis, θεωρία seu θέματα Graeci vocant, Cuiacius concoquere nequit. Namque illud inoleuisse aetate Iustiniani, et vbiunque in Digestis reperitur, a manu Tribonianii esse autumat. Quo quidem conceptae opinionis fundamento, a Cuiacio semel iacto, totum aedificium exstruxit, et, quam potuit, alte extulit Ant. Faber *Lib. XVIII. Coniect. c. 1, 2, et 20.* quibus in locis totus



tus fuit in eo, ut omnia Pandectarum capita, in quibus *visionis* verbum legitur, aut Tribonianii esse, aut saltem ab eo corrupta fuisse probaret. *Indigo facinore*, inquit Bynkershoekius *L. III. Obs. c. 12.* cum quae verba ICtorum aetate obtinerint, non nisi ex eorum reliquiis cognosci queat. Puto autem hanc vocem e scholis Philosophorum esse petitam, apud quos speciem alieuius rei impressam in animo, informatamque significat. Sic Cicero *Acad. IV. 2.* *vicio veri fasique communis a quibusdam putatur*. Omnino autem veteres in disputando *videndi* verbo frequenter utebantur, ut e Seneca Gronouius *ad Senec. de Ira III. 14.* et e Quintiliano Heinicius *ad Briffon. de V. S. p. 1360.* probarunt. Inde ICtri ad species, seu hypotheses iuridicas transtulerunt, quaestionesque, de quibus disputabant, *visiones* vocarunt. Qua significazione etiam *cogitationem* Paullus noster usurpauit *L. 10. f. 1. D. de L. Rhodia de iactu*, ubi: *idem iuris in eodem genere cogitationis obseruabimus*, Florentiae recte legi, contra Cuiacium et Ant. Fabrum, Bynkershoekius *d. 1.* contendit. Quare consultius est, parcere Triboniano, ac Paullo, aliisque ICtis *visiones* vindicare.

Plus difficultatis habet; nec immerito Cuiacio scrupulum iniicit *iuramenti* verbum, quod quantumuis eadem *f. 3.* omnes libri constanter seruent; tamen a manu Pauli esse nequit. Recte enim a Cellario *Antibarb. cap. I. p. m. 67. seq.* et *Cur. Post. c. VI. p. 221. seq.* inter voces prolapsae latinitatis refertur, et tunc denum in linguam introducta est, postquam oracula ICtorum diu obmutuerant. Locus enim Senecae *de Clement. II. 1.* ubi vulgo legebatur: *O vocem, in concionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba principes regesque iuramentum faciant!* depravatus est, quem Murensis Lipsius atque Gronouius, ut quisque verisimillimum duxit, restituere conati sunt. In Pandectis autem praeter hunc lo-



cum, non nisi semel apud Vlpianum L. 34. §. 5. de iureiur.
 iuramentum legitur. Omnes enim Codices in hac scriptura
 consentiunt: *Si de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubi-
 tatum.* Verum enim vero, cum uterque Ictus, et Vlpianus
 et Paullus in omnibus fragmentis, quae in Pandectis etiam-
 num supersunt, et in primis sub titulo de iureiurando utram-
 que paginam faciunt, quotiescumque ea de re sermo inci-
 dit, *iurisiurandi* voce constanter utantur; neutiquam proba-
 bile est, eos semel a recepta latinitate recessisse. Neque ad-
 eo dubito, quin ille Vlpiani locus dubiae lectionis sit, quod
 et alii in mentem venisse video. Ecquid autem medelae
 Paullo nostro adferemus? Nisi me omnia fallunt, rem per
 Graecos expediri posse existimo, quibus totus hic versicu-
 lis: *ut iudex iuramenti fidem secutus ita sententiam possit for-
 mare,* plane non legitur. Basilica enim mentem Paulli sic
 exprimunt: ἐν πᾶσι δὲ τέτοις ἐφέται ὅμον ἐπάγειν, καὶ
 ὁ τῆς συνοφαντίας διδοται, καὶ ἀντεπιθέρειν. Enarrator
 autem Basilicorum Lit. Q. dum integratatem huius loci Pauli-
 lini, quem autores Basilicorum valde corrupérunt, vel e
 Digestis, vel ex ipsis Paulli libris restituit, §. 3. ita exhibet
 p. 41. Ἐπὶ πάντων τῶν δὲ εἰρημένων θεμάτων ἡ πάντων ὁ
 ἀντωρ, ἀλλὰ καθόλα βαρυνόμενος ταῖς ἀποδείξεσιν ἔχει οὐ-
 ναγον ὅρης ἐπιφορᾶς, καὶ δύναται ὅμον ἐπάγειν τῷ διαδί-
 ςιῳ, πρότερον δυτὸς τὸν περὶ καλυψίας ὅμον ἐνδιόδεις. τῷ
 δικαίῳ μέν τοι τῆς ἀντεπιφορᾶς τῷ διαδίω φιλαττομένῳ:
 versiculo illo, ut in ipsa Basilicorum versione, rursus omis-
 so, quem si legisset, vel in Digestis, vel in ipsis Paulli
 Quæstionibus, cum reliquas Paulli enunciationes ordini
 suo integratique restituerit, profecto haud praetermissurus
 fuisset. Quare ut iam libere dicam, quod sentio, totum il-
 lum versiculum in mendo cubare, atque glossema recentio-
 ris interpretis esse reor, quod postea librariorum, qui Pan-
 dectas



dectas descripserunt, vel incuria vel infiditia in ipsam orationis Paullinae seriem irrepit, omnesque codices inquinauit. Quo quidem glossemate, auctoritate Graecorum electo, omnem istam nubeculam discutiemus. Graecis enim in re dubia plus esse, quam Pandectis Florentinis tribuendum, praecipuae dignationis Ictus Ant. Cennius Lib. I. Disputat. *Iur. Civ. c. 6.* idoneis argumentis euicit. Sic mihi sedet. Si quis tamen me fuerit oculatior, non intuidebo, modo ne Tribonianus, velut Deus ex machina, ad partes vocetur.

Quod denique Paullus §. 4. cautionem iudicrete concipere dixit, h. e. si quis ita loquitur, ut ex ipsa cautione causa debendi discerni nequeat, ut Graeci ὀδιαγετῶς, satis latinum est, quamvis Paullo proprium. Confessionem autem hic vulgari esse significatione accipiendam pro declaratione sui, quocumque demum modo, quis voluntatem et animi sensum expresserit, ceu docet Byakershoekius Lib. VII. Obs. c. 16. vix est, ut credam, quoniam Paullus ipse per cautionem explicat. Graeci per ὄμολογίαν exprimunt, et hac ratione Cicronis, aliorumque probatae latinitatis scriptorum auctoritate potest, usuque defendi, quibus, ut idem ille Bynkershoekius statim adiicit, confessiones saepe dicuntur pro instrumentis et chirographis, quibus illae continentur.

§. VIII.

Tribonianum §. I. neque clericorum meminisse, neque monachos descripsiisse, contra Merillium atque Cuiacium adseritur: error Graeci Interpretis: monachi quo tempore orti: sensus verborum Paulli laudato Iac. Goihofredo, Bynkershoekio, ac Noodtio: Bertrandi interpretatio explosa.

Supereft, ut iam illum L. nostrae versiculum attingamus, qui, quod ad verba attinet, praecipuam fingendae interpolationis causam praebuit. Scilicet dum Paullus §. I.



enunierat homines, qui ob praesumitionem iuris, quae pro ipsis facit, necessitatem probandi in aduersarium transferunt, puta *si is, qui indebitum queritur, vel pupillus, vel minor sit, vel mulier, mox subiicit: vel forte vir quidem perfectae aetatis, sed miles, vel agricultor, et forensum rerum expers, vel alias simplicitate gaudens, et DESIDIA DEDITVS.* Sic enim edidit Taurellius. Haloander et Baudoza habent *DESIDIÆ DEDITVS.* Sed illibata retineri potest Florentini Codicis lectio, in quo casus sextus pro tertio non raro occurrit, atque etiam apud alios autores frequentes sunt casuum commutationes. Cuius rei exempla suppeditabunt Bynkershoekius *Lib. IV. Obs. c. vlt. et Vryhouius Obs. Iur. Ciu. cap. XV. p. 72. seq.* Ablatiuum enim olim prorsus eumdem fuisse cum datiuo in omnibus declinationibus praecclare docuit Perizonius ad Sancti Mineru. *Lib. I. c. 6.* Sed hoc iam non agimus. Illud potius quaeritur, quale genus hominum postremis verbis intelligatur? Ac suavis sane est Em. Merillius *d. l.* qui hisce: *forensum rerum expers, Tribonianum clericos intelligere voluisse putat, atque etiam monachos, qui non minus quam clerici, a forensibus negotiis abstine-re debeant, locis aliquot Basiliu eam in rem adductis.* Cui vero etsi lubenti animo largior, clericos et monachos a cau- sis forensibus, coram tribunalibus iudicum agendis et per-orandis, abstinere oportere; nullibi tamen me legere memini, et clericis et monachis ob iuris ignorantiam esse subue-niendum, vt hic forensum rerum expertibus, suadente be-nignitate, succurririt. Quodsi, submoto Tribonianio, verba Paulli sic accepisset Merillius, vt series illorum postulat, atque haec: *et forensum rerum expers, ad proxime ante-cidentia: miles vel agricultor retulisset, quod necessario fieri debet; tum sane nec clericos, nec monachos, irata Themide, in hunc locum illaturas fuisset.* Sensus enim Paulli ma-nife-



nifestus est, non modo pupilos, minores, atque mulieres, ob lubricum vel aeratis, vel sexus, sed etiam viros perfectae quidem aetatis, qui vero nullam forensium rerum cognitionem habent, quales milites vel agricultores esse dicit, facile errasse, indebitumque soluisse praefumi. *Expers enim aliquius rei*, pro eo, qui nullam eius rei cognitionem habet, tritissimum est, et vel pueris e Nepotis praeftatione cognitum, vbi expertes litterarum Graecarum occurunt. Sequuntur verba; *vel alias simplicitate gaudens, et desidia deditus*, quibus manifestam monachorum descriptionem contineri Cuiacius, et qui vestigiis eius insisit, Merillius opinantur. Cuiacius senrentiam suam auctoritate Enarratoris Basilicorum confirmat. Est autem is, quod in transitu animaduerto, non Dorotheus, vt viro summo dicitur, sed Theodorus Hermopolites, Antecessor Constantinopolitanus. Huius enim nomen scholion apud Fabrotum praefert. Qui quidem duo non sunt confundendi, licet vterque ad Digesta commentatus fuerit. De Theodoro vid. Reizius *Memorab.* ex schol. *Basilic. Excurs. XX. ad Theop. p. 1240. seq.* [vbi etiam hunc locum excitauit. Theodorus igitur p. 41. verba Paulli sic interpretatur: ἡ οὐαὶ ἀπλότητι χαίρων, τυχὸν μοναχὸς, ἡ οὐαὶ ἐσθυμέται ἐνδεδουλεύοντος. Quo quidem nomine Graecum iure irrisit Iac. Gothofredus ad L. 63. C. Theod. de decurion. Tom. IV. p. 436. edit. Lips. Qui enim Paullus, quem sub Seuero, Caracalla, atque Alexandro floruisse scimus, de eo hominum genere cogitare potuit, quod tunc temporis in orbe terrarum nondum cognitum fuit? Primi enim monachi, cessante persecutionis Decianae aestu, oriuntur in Aegypto, auctore Antonio, ex cuius schola infiniti per orientem monachi prodierunt. Vid. de origine ac progressu monachorum, disciplinaeque monasticae late differentem Boehmerum *Iur. Eccles. Protest.* Tom. III. p. 178. seq.

Ne-



Neque autem ea fuit primorum monachorum conditio, ut
 desidia atque inertia vitam traducerent, eamque ob causam
 consortium hominum fugerent, quales primos nonnos fuis-
 se, primasque nonnarias sibi persuadet Cuiacius: sed durissi-
 mis viuendi regulis, quas ipsis Antonius praescripsérat, ad-
 stricti vinebant. Sozomenus *Lib. I. Hist. Eccles. c. 13.* Non
 enim, inquit Duarenus *Lib. I. de Sacr. Eccles. Minist. ac Be-*
nes. c. 20. natura abhorrebant ab hominum congregatu, quod Ari-
 stoteles non inimerito damat, tales improbos esse dicens, aut ho-
 minē praestantiores. Nec ita otio dediti erant, more pseudomo-
 nachorum nostri temporis, ut nihil in commune conferrent, et se
 homines esse, id est, ad societatem hominum iuuandā natos non
 recordarentur. Cum igitur, ut e diuerticulo in viam regre-
 diamur, eo tempore, quo Paullus noster vixit, nec cognita
 fuerit monachorum natio, nec etiam descriptio, e Pauli ver-
 bis extorta, in primos monachos cadat, adeoque, quod
 necessario inde sequitur, perquam inepta sit Theodori inter-
 pretatio; plus sapere Graeco interprete sibi visi sunt Cuiaci-
 ius atque Merilius, omni culpa in Tribonianum translata,
 quippe qui, ut ait Merilius, *de Christiana religione hanc recte*
sentiens, ut auctor est Suidas, *his verbis monachos perstringere*
voluit. Hoc scilicet audere poterat minister illius Principis,
 qui vitam monasticam, tamquam rem sacram et diuinam,
 tantopere extollit atque commendat *Nou. CXIII.* Relin-
 quamus igitur priscis *I Cris.* quae illorum sunt, nec eiusmo-
 di sententias genuinis illorum verbis adsingamus, ut auxi-
 liatrice Triboniani manu incongruis locis indigeamus. Ipse
 enim Paullus hic loquitur, et per simplicitate gaudentem
 quemlibet rudem atque ignorarum hominem intelligit, ut mo-
 net Bynkershoekius *L. VII. Obs. c. vii.* adducto simul loco
 Seruī ad Virgilii Bucolica, vbi de rusticis eadem, qua Paulus
 h. l. phrasī vtitur. Personae, ait, hic rusticæ sunt, simpli-
 citate



estate gaudentes, a quibus nihil altum debet requiri. *Desidia* autem deditus Paullo dicitur rei priuatae suaे incuriosus, in re sua negligens, relatione e contrario facta ad hominem diligentem et studiosum patrem familiæ, cuius personam incredibile est in aliquo facile errasse. Sic adplaudente Bynkershoekio, haec verba recte explicavit Iac. Gothofredus d. L. Atque eadem fere ratione Noodius ad tit. *Pard. de iur. et fact. ignor.* illum simplicitate gaudentem, et desidia deditum Paullo vindicavit, causamque interpretationis suaे dedit elegan-tem: *quod huiusmodi homines non cum monachis esse coepérunt: contra fuerunt illi semper, etiam ante monachos, et adhuc sunt, praeter monachos.* Satis igitur, vt puto, liquet, saluam esse, absque clericis monachisque, Pauli sententiam. Ante vero quam hinc discedam, non possum silentio praeterire Io. Bertrandum de *Iurisperitis Lib. I.* qui sane in scyllam incidit, dum vult vitare charybdim. Haec enim verba, inquit, ad monachorum referri statum non debent: sed ad Christianos, quibus maxime insensus Paullus fuit, quos desidiae deditos appellat ille, iniurioso nomine: *quia Christiani plerique etiam sub temporibus Septimi Seueri, sub quo Paullum hos Quæstionum libros scripsiſſe certum est, reipublicae omnia munia, tamquam rem Christiano homine indignam respuebant.* Haec Bertrandus. Nemo autem adeo caecutit, quin videat, paucis verbis multas nugas venditasse Bertrandum. Quomodo enim Christiani reipublicae munia respuere poterant, imperante Septimio Severo, quem crudelissimam aduersus illos persecutionem exercuisse constat? Paullum vero, incensum odio, Christianis ius quoddam singulare concessisse, illata simul nomini christiano iniuria, statuere, nihil aliud est, quam cum ratione ipsa insanire. Atqui Paullus in proposita quaestione simplicitate gaudentes et desidia deditos, ob infirmitatem consilii, errorisque præsumptionem probationis onere leuauit.

D

Sed



Sed taedet ineptiarum, quae ex hac Bertrandi interpretatio-
ne prono alueo fluunt.

C A P V T I I .

§. I.

Bene se habet, Paulloque digna est huius legis iurisprudentia.

Progedimur ad ipsam, quae hoc capite continetur, iurisprudentiam diligentius explicandam, Paulloque vindicandam. Quidquid enim aduersus censores emblematicos hactenus disputauimus, dumtaxat ad filium pertinuit, omissa interim quaestione iuris, quam nec Cuiacius in Observati-
nibus attigit. Idem vero quamquam hoc argumentum late exsecutus est ad Paulli quaestiones; in eo tamen grauiter peccauit, quod omnia a Triboniano supposita esse contendit, adeoque tamquam mera placita vel Tribonianii, vel Iustiniani, qui probauerit omnia, a Triboniano patrata, nulla certi juris ratione munita considerauit. Cuiacii sententiam utroque pollice laudat Ant. Faber Lib. XVIII. Coniect. c. vlt. nihil esse tota illa lege, inquiens, siue verba, siue sensum confide-
res, totque distinctiones ac subdivisio-
nes, quibus referta est, quod non sapiat Tribonianum, a principio ad finem usque. Nec Merillius d. l. distinctiones illas concoquere potuit. Vnde vero sciunt, aliter atque nunc legimus, et absque omni distinctione de hac quaestione disputasse Paullum? Quid est, quod Iurisprudentiam veterem, quae Paulli aetate obtinuit, villa ratione offendat? Neque enim nullus in Pandectis vel Paulli, vel aliis Icti extat locus, vnde demonstrari queat, aliam atque hanc, tempore Ictorum, qui ante Iustinianum flo-
ruerunt, obtinuisse iurisprudentiam, quam vel suppresserit, vel saltem ad usum iudiciorum suae aetatis deflexerit Tribon-
nia-

nianus. Illud autem probabile mihi esse videtur, inter ipsos
ICtos veteres de celebri hac quaestione non satis constitisse,
adeoque Paullum, quo pollebat iudicii acumine, propositis
variis, quas mente concipere poterat speciebus, additisque
rationibus, quare quelibet aliter decidi debeat, totum hoc
argumentum ad liquidum confessumque perduxisse. In quo
quidem more suo tam subtiliter versatus est, vt vel ipsa tra-
ctationis series, atque rationum, quibus vtitur, grauitas
Cuiacium, caeterosque alia omnia docere possent. Neque
vero quemquam turbare debet hunc locum aliter exstare in
Basilicis, eorumque synopsi, monente Dion. Gothofredo
ad h. l. Ipsi enim Basilicorum autores, inuerso specierum
ordine, mentem Paulli non satis recte intellectissime videntur,
adeoque Scholiares *Lit. Q.* p. 40. integratatem huius loci,
ordinemque, seu ex ipsis Paulli Quaestionibus seu e Digestis
Iustiniani sic restituit, vt nihil omnino omitteret. Argu-
menta vero, quibus Paullus suam sententiam corroborauit,
e salebrosa de concursu prae sumptionum doctrina, vnde tota
haec quaestio pendet, petita sunt, nec quidquam occurrit,
quod receptas usque comprobatas de prae sumptionibus regu-
las subuertat. Sic autem Paullus noster multum iuuit Iust.
Henning. Boehmerum in luculenta disputatione *de Collisione
Præsumptionum*; ita nos vicissim Boehmerus in tractatione
Paullina, interpretationis luce collustranda iuuabit.

§. II.

*Summa quaestiones Paullinae diuisio, ac prima indebiti soluti
species, priore pr. parte exposita.*

In condicione indebiti tria omnino momenta concur-
rere oportere, vt sit aliquid vel solutum vel promissum, vt
per errorem solutum promissumue sit, vt denique sit inde-
bitum, inter omnes satis constat: quae quomodo intelli-
gen-



genda sint, eleganter docet Noodtius *ad tit. Pand. de condit. indeb.* Cum igitur vtroque casu, siue soluta sit res vel pecunia per errorem indebita, siue promissa, conditio indebiti locum obtineat; omnem de probatione quaestione duabus partibus complexus est Paullus, quarum altera est de solutione, altera de promissione indebiti. Iam porro qui conditio indebiti agit, cum vel totam summam indebitam esse dicat, vel pro parte dumtaxat queratur, aut dissoluto iam debito, iterum se soluisse indebitum, aut exceptione tutum pecuniam errore perpendisse, formula intentionis comprehendat; hinc duplex rursus membrum tractationis suae ICtus constituit. Ac priori quidem casu, ubi quis totam summam indebitam fuisse contendit, rem ira temperandam esse ait, ut tres diuersae species a se inuicem rite secerantur. Quarum primam pr. h. l. constituit hanc: agente aliquo conditio indebiti, reus omnino negat, se quidquam accepisse; quaeritur, quis probare debeat? Et ait Paullus: *vt si quidem ir. qui accepisse dicitur, rem vel pecuniam indebitam, hoc negauerit: et ipse, qui dedit, legitimis probationibus solutionem adprobauerit: sine villa distinctione ipsum, qui negauit se pecuniam accepisse, si vult audiri, compellendum esse ad probationes praefandas, quod pecuniam debitam accepit.* Solutio enim in facto consistit: facta autem numquam presumuntur, sed probanda sunt. Negante igitur solutionem reo, actor ad legitimas illius probationes obstringitur. Quorum quidem duo genera sunt, testes scilicet ac tabulae, isque tantummodo probare dicitur, qui rei controversiae fidem facit iudici testibus aut tabulis, ut demonstrat Duarenus *Lib. I. Disputat. Annivers. c. 27.* Iusiurandum vero inter probationes iure proditas esse, glossa *ad h. l. recte negauit e L. 30. D. de iureinr.* Pedius enim apud Paullum *d. l. air, praefitto iureinrando exonerari petitorem probandi necessitate.*

Idem

Idem sedet Vlpiano L. 5. §. 2. L. II. §. 2. D. eod. Consen-
tit quoque Harmenopulus Lib. I. προχ. Tit. VII. §. I. ὁ ὄρ-
νος ἐν ἀπολητῶν ἀποδείξεων, παρὰ τῶν δικαιῶν ἐπιφέρε-
ται ποτὲ ἐπὶ ταῦτα ἀγαγόν αἱ τίνες οὐχ ἔχουσι διληγούσθεν
τὴν ἀληθείαν. Quamvis vero iusurandum per se non sit
probatio, incipia tamen probationum perinde habetur, quod
iuratum est, ac si probatum esset. Atqui sic Paullus §. 3.
sententiam suam restringit. Frustra igitur Cuiacius, repre-
hensa glossa, iusurandum inter probationes legitimas hic
referri arbitratur. Quodsi vero actor solutionem rite pro-
bauerit, hoc enim redeo, reumque adeo mendacii arguerit;
pecunia, quae antea ne soluta quidem praefumebatur, nunc
in poenam mendacii indebita praesumitur, nisi hanc specia-
liorem praesumptionem contraria probatione reus elidere ve-
lit. Nam cum praestita ab actore solutionis probatione in
angustias redactus, iam fateri cogatur, se pecuniam accepisse:
aut statim condemnatur ad restituendum, quidquid per
errorem solutum est, et iam indebitum esse praesumitur:
aut, si vult audiri, sine illa distinctione compellendus est ad
probationes praestandas, quod pecuniam debitam acceperit.
Manifesta enim ratio est, quam sententiae suae Paullus sub-
iicit. Per enim absurdum est, inquit, eum, qui ab initio nega-
vit, pecuniam suscepisse, postquam fuerit conuictus, eam accepisse,
probationem non debiti ab aduersario exigere. Sic is, qui se
possidere negat, iudicio in rem absolvitur, possessionis autem
conuictus, in poenam mendacii officio iudicis possessio ab
eo in aduersarium transfertur, licet suam esse haud probau-
rit. L. vlt. D. de rei vindicat.



§. III.

*Altera indebiti soluti species, posteriore pr. parte a Paullo
relata.*

Pergimus cum Paullo ad alteram indebiti soluti spe-
ciam, posteriore pr. parte propositam, quae est eiusmodi.
Actore indebitum condicente, solutionem quidem confite-
tur reus, non autem indebitam pecuniam sibi solutam fuisse
adfirmat. Vt si igitur incumbit probatio, num actori, qui
quod solutum est, indebitum fuisse dicit, an potius, qui ait
debitum fuisse, reo? Praesumptionem videlicet, ait Paullus, pro
eo esse, qui accepit, nemo dubitat. Is autem, pro quo est
praesumptio, probationis onus in aduersarum transfert. Sic
enim Cyrillus ad h. l. p. 43. notat: ὅτι ἐν ὁ πρόληψις ὑπέρ
τυπος δείκνυται, ὁ τύπος διάδοσις βαρεῖται τοις ἀποδεξεσι, οὐαγ
ὅτι ὁ κατεβαλὼν τυπον, δουει κατὰ πρόληψιν δέβετον ἀντω
κατεβαλεῖν. Itaque fortis est praesumptio, indebitam non
esse solutam pecuniam. Qui enim soluit, pergit Paullus, num-
quam ita resipinus est, ut facile suas pecunias iactet, et indebitas
effundat: et maxime si ipse, qui indebitas dedisse dicit, homo
diligens est, et studiosus patresfamilias, cuius personam incredibile
est, in aliquo facile errasse. Verba clariora sunt, quam quae
interprete indigeant. Haec enim communis est hominum
consuetudo, atque indoles, ut sua non temere iactent: et
ut quisque diligentissimus est, reique familiaris studiosissi-
mus, ita minime in soluenda pecunia errasse creditur. Re-
ste ideo ICtus eum, qui indebitum se soluisse dicit, ad pro-
bationem illius compelli, statuit: quam nisi praestiterit, se-
que vel dolo accipientis deceptum, vel alia iusta ignorantiae
causa inductum, indebitum per errorem soluisse ostenderit,
causa cadit, neque ullam soluti repetitionem habet. Vide
fis Boehmerum Cap. II. §. 14. Quaenam autem ignoran-
tiae iusta causa sit, ac repetitioni locum relinquat, docent

Impp.

Impp. Diocletianus et Maximianus *L. 10. C. de iur. et fact.*
ignor. sic enim rescribunt Araphiae: *cum quis ius ignorans in-*
debitam pecuniam soluerit: cessat repetitio. Per ignorantiam
enim facti repetitionem tantum indebiti soluti competere tibi notum
*est. Aliud quidem suadere videtur Vlpianus *L. 1. D.* ut in*
possess. legat. sed omnem dubitationem sustulit Noodtius ad
Pand. d. t.

§. IV.

Tertia indebiti soluti species §. 1. tractata.

Quotiescumque vero is, qui indebitum condicit, eius est conditionis, ut facile errare, atque adeo suas pecunias iactare, indebitasque effundere praesumatur, cuius pupilli, minores, mulieres, viri forensium rerum expertes, ut milites et agricultores, omnesque omnino homines infirmioris consilii, ac rei familiaris negligentes esse censentur; aliud, atque in antecedenti inspectione, statuendum esse, quisque statim intelligit. Atque haec circa indebitum solutum §. 1. tertia est Paulli deliberatio: cuius rationes, quoniam iam sedulo inuestigauit Boehmerus *Cap. II. §. 10, et 14.* non est, quod vberius exponam. Efficacior enim praesumtio cum pro eo sit, qui indebitum se dedisse contendit, Paullus recte infert, *tunc eum, qui accepit pecunias, ostendere bene eas accepisse, et debitas ei fuisse solutas: et si non ostenderit, eas redhibere.* Nullum igitur huiusmodi hominibus indebitum condicentibus probationis onus incumbit, sed praesumtione, qua gaudent, in reum transferunt, ut scilicet probet, se debitum accepisse, neque adeo condictioni locum esse, reddatque, deficiente probatione, quidquid aduersarius sive iuris, sive facti ignorantia solutum esse adfirmavit.

§. V.



§. V.

Quarta indebiti soluti species §. 2. explicata.

Absoluimus primum quaestionis Paullinae de solutione indebiti membrum, atque cognouimus, quis probare debat, si tota summa indebita condicatur. Succedit alterum, similius quarta indebiti soluti species, de qua Paullus §. 2. differuit. Si quis enim partem tantum indebitam solutam esse profiteatur, veluti qui centum debuit, ducenta soluit, adeoque centum, tamquam partem solutae pecuniae indebitam, in iudicium deducat; cum summa praesumtio sit adversus eum, qui partem se debuisse fatetur, se plus debito persoluisse, ostendere tenetur. Idem etiam obtinet, si quis olim quidem, et ab initio se debuisse, sed, vel dissoluto prius debito, prioris solutionis oblitum, iterum se soluisse, vel exceptione perpetua tutum, veluti pacti de non petendo, aut iuris iurandi qua se tueri poterat, proiecisse pecuniam dicat: secundum generalem regulam, inquit Paullus, quae eos, qui opponendas esse exceptiones adfirmant, vel soluisse debita contendunt, haec ostendere exigit. Haloander Vulgatam secutus iegit: *indebita*, quod contra sensum Pauli est. Qui enim iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependent, non *indebita*, sed *debita* se soluisse contendit, et, quod dissoluto debito ignarus iterum soluit, tamquam indebitum condicit. Solutionem igitur iam factam, secundum generalem regulam, probare debet, atque ita proba est Florentina lectio, quam etiam Graecus Scholiaastes confirmat. Nihil autem in hac specie referre, cuiuscunque conditionis sit, qui indebitum condicit, Paullus indigitat verbis: *ipsum omnimodo hoc ostendere*, quorum vim ac potestatem ex mente Icti Graeci reclusi, quam Latini interpretes perspexerunt. Baudozia *omnino* legit, sed perperam. Retinendum est, *omnimodo*, sive in unam vocem contrahas, ut fecit Taurellius,

sive

sive in duas distrahas, quemadmodum Haloander expressit. Vtraque enim scribendi ratione significat: qualisunque sit, qui indebitum queritur. Graeci transtulerunt: ἀυτὸς οἶος ἀν εἰη, et Scholia stes mentem Paulli apertius declarauit: οὐδὲν τοιεῖται εἶσιν ὅν ἀργίως εὐεργεταμέν τῷ βάρος τῶν ἀποδεξεων. Latini autem cum haesitatione quadam sic interpretati sunt: *forsan, quod neque initiationis, neque personae ratio habetur.* Sive igitur homo diligens sit, et studiosus patr̄familias, qui non creditur in aliquo facile errasse: sive ex eorum numero sit, quos Paullus §. 1. recensuit, cessante in hac specie erroris, indebitaque solutionis praesumtione, *ipsum omnimodo hoc ostendere, quod vel plus debito persoluit, vel iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependit, vel tutus exceptione suam nesciens proiecit pecuniam.*

§. VI.

*Legitima indebiti probatione deficiente, iuriurandum deferre licet,
de quo Paullus §. 3. agit.*

In omnibus ergo indebiti soluti speciebus, quas, praeunte Paullo, pertractauimus, is, cui onus probandi incumbit, aduersarium suum conuincere debet legitimis probationibus, quod Ictus pr. diserte innuit. Quidsi autem, ut saepe accidit, non tam ius deficiat, quam potius probatio, ut loquitur Noster Lib. VI. Quaest. L. 30. D. de testam. tut. h. e. is, qui probationis onus sustinet, neque testes producere, neque tabulas proferre pro defendenda causa sua possit; num propterea vietas alteri praebere manus, vadimoniumque desererere cogetur? Non ita censuit Paullus §. 3. sed ei, quem legitimae probationes deficiunt, licentiam concessit, meru diuini numinis ab aduersario veritatem extorquere. In omnibus, inquit, visionibus, quas praeposuimus, licentia concedenda est ei, cui onus probationis incumbit, aduersario



rio suo de rei veritate iuriandum inferre. Eadem ratione tu-
tor pupilli, omnibus probationibus aliis deficientibus, ius-
iuriandum deferens audiendus est, ut ait idem Paullus *L. 35.*
D. de iureiur. Sin vero quaedam vexandi suspicio inciderit,
exigente altero, prius pro calunnia debet iurare, deinde sic
ei iurabitur. *L. 34. §. 4. D. de iureiur.* Nam quod iure no-
vo in omnibus causis praestandum est iuriandum calum-
niae, etiam iure veteri ac Pandectarum in iis causis obtinui-
se, in quibus lex presumeret faciles ad rixandum animos,
vel alias calumniandi suspicio emerget, obseruavit Byn-
kershoekius *Lib. VII. Obs. c. 9.* Addit Paullus: *iure refe-
rendae religionis ei seruando.* Quae enim de sententia iudicis
in omnibus libris, etiam Tusco, interseruntur verba, cum
nihil ad rem faciant, freti auctoritate Graecorum, iam supra
abesse iussimus. Cuique igitur saluum est, praestare velit
iuriandum sibi delatum, an vero referre. *Manifestae au-
tem turpitudinis et confessionis est, nolle nec iurare nec iuriuran-
dum referre. L. 38. D. de iureiur.*

§. VII.

*De cautione indebita exposita duplex species a Paullo
§. 4. proposita.*

Dixit Paullus, quid iuris sit circa probationem vbi de
solutione indebiti quaestio est. Restat altera quaestio nem-
pe de probatione indebiti cauti, siue cautione et instrumen-
to comprehensi, quam Paullus *§. 4.* tractauit. Quamuis
enim Merilius *d. l.* et Giphanius *ad L. 13. Cod. de non num.
per.* strenue contendant, Tribonianum hanc postremam
 $\xi\eta\sigma\tau\omega$ e Iustiniani Constitutione, quae *d. l. C.* continetur, at-
texuisse, mihi tamen fixum immotumque sedet, et e collatione
vtriusque loci abunde liquet, nihil hac postrema par-
te occurrere, quod Tribonianum redoleat. Ergo petunt
viri

viri docti, quod ratione idonea nondum firmarunt. Proposuit autem Paullus duplēm indebiti promissi, et in cau-
tionem redacti speciem. Prima est, si quis cautionem in-
debitam scripsit, nulla inserta causa debendi. Cui igitur in
condicione probatio incumbit? Et ait Paullus: *Sin autem
cautio indebite exposita esse dicatur, et indiscrete loquitur: tunc
eum, in quem cautio exposita est, compelli debitum esse ostendere,
quod in cautionem deduxit.* Ratio est, quod stipulator causam
debendi in cautione retieuit. Hinc magis indebitum, quam
debitum esse praesumitur, reumque adeo condicione inde-
biti promissi conuentum, fortem hanc praesumptionem, ad-
versus se militantem, probatione debiti elidere oportet. Al-
tera indebiti promissi species est, si is, qui condicir, specia-
liter causas explanavit, pro quibus cautionem exposuit.
*Tunc enim, inquit Paullus, stare eum oportet suae confessioni:
nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis, ostendere pa-
ratus sit, esse haec indebite promisso.* Atque hoc Iustinianus
illa L. 13. Cod. de non num. pec. denuo sanxit. Nam cum
pro instrumento maxima sit praesumptio; hinc neque testium
productione, neque iuris iurandi religione contrarium euin-
ci, instrumentique vires infringi possunt. Ac miror, Enar-
ratorem Graecum Lit. x. p. 43. inopia probationum in scri-
ptis habitarum, contra mentem Paulli, ceu ex ipso tractatio-
nis ordine adparet, et contra voluntatem Iustiniani, iuri iu-
rando dedisse locum. Caeterum quomodo indebitum pro-
missum, tabulisque comprehensum alio instrumento proba-
ri possit, egregiis exemplis illustravit Hilligerus Lib. XXV.
Donell. Enuel. c. 8. P. II. p. 1355.

§. VIII.

E p i l o g u s.

Secutis sumus, quorsum nos Paullus veluti manu duxit.
Plura de probatione indebiti nec Paullus protulit, nec ego
habeo,



habeo, quod proferam. Incredibili enim mentis sagacitate, sibi quodammodo propria, ictum omnes, quae in ipsis rerum argumentis occurrere possunt, species constituisse, constitutas summo iudicij acumine, quo inter veteres fere regnat, decidisse reor. Habent igitur judices, causarumque patroni, quem in iudicando, agendum sequantur, Paulum, praecipuae inter veteres dignationis ictum: quem quidem, cum totam hanc doctrinam plene exhauserit, quis est limatioris iudicij, quin lubentius exaudire velit, quam Ma cardum, Menochium aliquosque, quos in disciplina forensi vulgo veneramus.



Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



EXERCITATIO IVRIS CIVILIS
DE
PROBATIONE INDEBITI
AD

L. XXV. D. DE PROBAT. ET PRAESVMT.

Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS
RITE CAPESSENDO

A. D. XXX. APRIL. A. C. CCCCCCLXXII

P V B L I C E T V E B I T V R

A V G V S T I N V S F R I D E R I C V S
MÜLLERVS A BERNECK

LIPSIENSIS

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

